



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

1 An quilibet homo sit capax confirmationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

hom. de Machabeis, in mundanis agonibus, atatis, ac forma, generisq; dignitas requiritur, & ideo seruis ac mulieribus, & senibus ac pueris ad eos aditus denegatur: In celestibus autem, omnipersona & atati, ac sexui, indiscreta facultate stadium patet. Et in homilia de militia spirituali dicitur: * Apud Deum femininus etiam militat sexus. Multa namque femina animo virili spirituales militiam gesserunt, quadam enim interioru hominis virtute, viros aequauerunt in agonibus martyrii: quadam etiam sortio es viros extiterunt. Et ideo etiam mulieribus hoc sacramentum conferendum est.

Hom. 6. in numero sex de im hom. & s. ca. 10 5.

1^a cor. a. 2.

Ad quarum dicendum, quod (sicut dictum est *) anima ad quam pertinet spiritalis aetas, immortalis est. Et ideo etiam mortuis hoc sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant, secundum illud Ephes. 4. Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi. Et ideo Hug. de sancto Victor dicit, * Omnino periculum esset si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret, non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum: sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Vnde etiam pueri confirmati decedentes maiorem gloriam consequuntur, sicut & hic maiorem obrinent gratiam. Auctoritas autem illa* intelligitur quantum ad hoc, quod mortuis non est necessarium hoc sacramentum propter periculum pugnæ presentis.

L. b. 2. de iac par. 7. c. 5 circa p. 11

Citata in argum. 4.

Pentecostes, in qua fuerunt Apostoli confirmati in quo Petrus aperte de illis hominibus dixit, qui acceperunt S. sanctum, sicut & nos. Respondetur primo, licet confiteri tunc datum esse S. sanctum visibilibus, quantum ad gratiam sanctificantem, & quantum ad aliquas gratias gratis datas, quod tamen illis fuerit impressus character Confirmationis, non constat: & ideo illud non potest adduci in argumentum huius sacramenti: quia ibi reuera non acceperunt hoc sacramentum, nec fortasse fuerunt facti incapaces ad illud recipiendum post Baptismum, ratione illius singularis doni, quia quædā aliquis non habet characterem confirmationis, est capax huius sacramenti, accedente Baptismo, etiam si maxima dona S. sancti prius acceperit, in quibus semper potest magis crescere. Secundo, quia probabile est eos, ad quos S. sanctus, illo modo mittebatur, non fuisse amplius confirmatos, & extraordinario modo recepisse etiā huius sacramenti characterem. Respondetur alter: illud factum fuisse præter legem in testimonium fidei gentium, ut ait Beda in eum locum. Vnde Greg. Nazianzen. orat. 24. dicit, illo facto ostendisse Spiritum sanctum se esse Deum & gratie Dominum, qui in quos, & quando, & quantum vult, spirat.

Solut. 1.

Solutio 2. Beda Greg. Naz.

Thom.

DISPUTATIO XXXV.

& 4. huius sacramenti.

De suscipientibus Confirmationis sacramentum.

Postquam dictum est de effectibus, dicendum sequitur de causis huius sacramenti: & quoniam formalis & finalis simul cum essentia & effectu, seu utilitate huius sacramenti explicata sunt, solum superest dicendum de subiectiua seu materia huius, & efficiente, de qua dicemus in sequenti disputatione: hic ergo agimus de materiali causa, non ex qua sacramentum constat, nam hæc pertinet ad essentiam sacramenti, & explicata iam est, sed circa quam sacramentum versatur, & in qua recipitur: est enim sacramenti veluti accidens quoddam indigens proprio subiecto, quod potest esse vel necessitatis, vel congruitatis, & utrumque explicandum est.

SECTIO I.

Utrum quilibet homo sit subiectum capax huius sacramenti.

Omnis homo baptizatus est subiectum capax sacramenti. D. Thom.

Dico primo: Omnis homo baptizatus, est capax huius sacramenti, non tamen is, qui Baptismo caret. Hanc posteriorem partem docuit D. Th. supra art. 6. ubi hoc sensu docuit, characterem Baptismi supponi ex necessitate characteri Confirmationis, quod est certum ex generali regula, quod Baptismus est ianua sacramentorum, & character eius est veluti potentia passiva ad omnia sacramenta. Secundo ex speciali ratione, quia perfectio supponit suū perfectibile, & augmentum supponit generationem: His autem modis comparantur inter se Confirmatio & Baptismus, ut Patres supra citati docent, qui simul tradunt, Confirmationem esse dandam post Baptismum. Tertio à simili, vel potius à fortiori, quia Ordo datus ante Baptismum, non est sacramentum, cap. 1. & vlt. Extra, de Presbytero non baptizato. Sed obici potest, quod Acto. 10. contingit, S. sanctum visibilibus descendere in eos, qui nondum erant baptizati: illa enim missio Spiritus sancti visibilis locum Confirmationis habebat. Vnde illi leguntur postea baptizati, non autem Confirmati. Vnde August. lib. 2. contra litteras Parmeniani, capit. 15. & li. 2. contra litteras Petilianii, ca. 35. illam descensionem Spiritus sancti comparat cum ea, quæ facta fuit in die

Obiectio.

August.

Priorem autem concl. partem docet D. Thom. hoc artic. & est omnino certa. Primo ex usu & traditione Ecclesie: nam in actibus Apostolorum legitimus absolute & sine limitatione, vel exceptione Apostolos imposuisse manus super baptizatos: & idem constat ex tota traditione supra adducta, & ex præsentate usu. Vnde Urbanus Papa de consec. d. 5. c. 1. Omnes fideles, inquit, per manus impositionem Episcoporum S. sanctum post Baptismum accipere debet, ut plene Christiani inueniantur. Secundo, quia supra ostensum est, specialem S. S. promotionem à Christo factam ad oēs fideles extendi: ergo & sacramentum, per quod specialis hæc gratia S. sancti datur. Tertio, quia oēs indigent proprio effectu huius sacramenti, scilicet robore & perfectione gratiæ, & propter se, qui per se est magna perfectio, & ad excellentiorem gloriam perducit: & propter operationem, & fidei constantem confessionem, ad quam semper oportet hominem esse præparatum & armatum: quamuis non semper eius occasio occurrat.

Ex qua conclusione, & eius rationibus colligitur, nullam esse in hoc negotio ætatem, sexum, aut habitum distinctionem: nam, siue sit adultus, siue infans, capax est huius sacramenti, ille per suam voluntatem consentiunt, hic absq; illo per voluntatem Christi & Ecclesie: idem dicendum est de viris, & feminis, de sanis aut ægris, de iis, qui persecutionis aut pacis tempore viuunt, ut D. Tho. hic explicat in solutionibus argumentorum. Vnde olim omnibus statim post Baptismum dabatur sacramentum confirmationis, ut Cyrillus Hierosol. & alii supra citatis colligitur, & ex Aug. tract. 6. in 1. canonicam Ioannis, dicente, Quando imposuimus manus istis infantibus, attendit vniquisque vestrum, utrum linguis loquerentur: & de eccles. dogm. c. 52. dicit, quando paruuli confirmantur, eos, qui illos offerunt, pro ipsis respondere, sicut in Baptismo, & plura ad hoc propositum videri possunt in Vualdenso. 2. de sacramentalibus. c. 57. Ratio vero omnium est supra tacta, quia omnes hi sunt capaces effectus huius sacramenti, & perfectionis, quæ per ipsum datur, & illa indigent. Dices: tamen non omnes sunt apti ad spirituales pugnam, ad quam per se primo hoc sacramentum ordinatur: Respondetur, oēs esse aptos ut armentur ad pugnam, & ut contingatur per characterem in milites Christi, & perfectionem gratiæ habitualis recipiant, ratione cuius habeant paratum auxilium pro tempore oportuno: non enim oportet, ut in actu secundo statim detur: neque enim adultis omnibus semper datur, ut per se constat, & dictum iam est.

SE